

**Contributors**

Wickman, Daniel, 1741-1800.  
Linné, Carl von, 1707-1778.  
Uppsala universitet.

**Publication/Creation**

Upsaliæ : Typis Edmannianis, [1774]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tv7vyb3e>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

28

D. D.  
DISSERTATIO BOTANICO-MEDICA  
DE

VIOLA  
IPECACUANHA,

---

QVAM,  
Venia Experient. Facult. Medicæ,  
In Reg. Acad. Upsaliensi,

PRÆSIDE

*Viro Nobiliss. atque Generosissimo*

D: NO DOCT. CAROLO  
V. LINNÉ,

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUR. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN.  
PROF. R. O. ACAD. PARIS. PETROPOL. IMPER. N. C. HOIM. UPS.  
LOND. ANGL. FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINE. Roter.  
NIDROS. CELL. PHILADELPH. ZELAND. MEMBRO. ET EDINE. ASS.

*Publicæ Ventilationi Offert*

AUCTOR

DANIEL WICKMAN,

Caroli - Coronensis.

In Aud. Carol. Major. d. 16. Decembris, 1774.

Horis A. M. Solitis.

---

UPSALIÆ,  
Typis EDMANNIANIS.



S:Æ R:Æ M:TIS

*SUMMÆ FIDEI VIRO,*

REGIS REGNIQUE SVECIAE

SENATORI,

ACADEMIAE UPSALIENSIS CANCELLARIO,

OMNIUM ORDINUM REGIORUM

*EQUITI ET COMMENDATORI,*

EXCELLENTISSIMO ILLUSTRISSIMOQUE

*COMITI AC HEROI*

**DOMINO CAROLO  
RUDENSCHÖLD.**

**SACRUM.**



## Lectori.

*Nemini mirum videatur, me hoc tritissimum Medicamentum, Ipecacuanham, quod omnibus Medicis notum est & quotidie usurpatur, dissertatione Academica illustrare voluisse, præsertim cum nihil fere dicere queam, quod non a multis Medicis & Materiae medicæ scriptoribus, iisque doctissimis, dictum sit prius. Adeo enim hoc est efficax atque heroicum, utpote quod, rite adhibitum, rarissime spem fallit; unde mihi dignissimum videtur, quod præ aliis multis excolant & ratione originis explorent Medicinæ alumni. Hoc igitur pharmacum, huc usque a Botaniciis satis neglectum, neque adeo omnibus adcurate cognitum, breviter describere constitui.*





**D**e prima Ipecacuanhæ origine seu detectione non o-  
perose differam, cum hanc optimus materiæ Me-  
dicæ scriptor *Geoffroi Mat. med. tom. 2. p. 89.* adeo di-  
lucide exposuerit, ut non nisi paucissima addenda vi-  
deantur: "Ipecacuanha, inquit, est præstantissimum Dy-  
"senteriaæ remedium, in novo orbe repertum, circa me-  
"dium seculi præteriti; descriptum fuit a *Guilielmo Pifo-*  
"*ne* in sua Indiarum historia, a quo tum & a *Marcgra-*  
"*vio* e Brasilia in Europam delatum fuerat. Altis tamen  
"tenebris obsitum, & in Gallia nostra incognitum re-  
"manserat, ad annum circiter 1672, quo cum *D. Legras*  
"Medico, qui ter Americam peragraverat, Lutetiam  
"pervenit. Verum illius virtute nondum comperta satis,  
"per plures annos oblivioni traditum fuerat, usque dum  
"circa annum 1686, a peregrino quodam mercatore *Gar-*  
"*nerio* dicto, iterum huc allatum est. Cum autem vires  
"illius singulares ab hoc mercatore prædicarentur, ab *A-*  
"*driano Helvetio*, Facultatis Rhemensis Medico, in usum  
"feliciter evocatum est; ab eoque tantum thesaurum sibi  
"& civibus comparare voluit *Ludovicus Magnus*, cujus  
"munificentia publici juris factus est Ipecacuanhæ usus.

Plures Ipecacuanhæ constituit species, Fuscam, Al-  
bam, Peruvianam seu Cineream, quibus addit Virgini-  
anam, Canadensem & Americanam. Improperie dictas  
Ipecacuanhas, ut *Virginianam* seu *Spiræam trifoliatam*,  
*Canadensem* seu *Euphorbiam ipecacuanham* & *Ameri-*  
*canam* seu *Psoraleam glandulosam* lubens prætereo,  
*Fusca-*



*Fuscā* tantum explicaturus ipecacuanhā in pharmacopoliis nostris ordinariam.

### *Descriptio.*

Radix est filiformis, subannulata, annulis elevatis aspera, pulposa, dilute fusca vel cinerea, friabilis, resinosa, nervo medullari longitudinali, densa & dura.

Ex America australi nempe Brasilia, Peru & Mexico quotannis magna copia in Europam asportatur.

### *Botanica.*

Ad plantam hanc recte cognoscendam Botanici recentioris ævi multam adhibuerunt operam, cum descriptio & delineatio Marcgravii seu Pisonis insufficientes parum lucis adferant.

*Marcgrav. bras. p. 17.* Ipecacoanha.

*Piso bras. p. 101.* Ipecacuanha. Uterque & Marcgravius & Piso flores ipsi albos tribuit & baccas rubras aut fuscas, eandemque ponit uterque figuram.

*Rajus in historia 1. p. 669.* hanc existimat *Paridis* speciem.

*Plukenet. alm. p. 288.* Periclymenum parvum.

*Moris. hist. 3. p. 535.* Loniceræ speciem faciunt: nemini ex his forte fuit visa.

N. D. Præses in *Horto Cliffortiano* p. 486. OURAGOGA: Specimen reperit Ipecacuanhæ exsiccatum, quod ibidem ita describitur: *Cal.* Perianthium quinquepartitum, laciniis lanceolato-linearibus, æquale, persistens. *Cor.* quinquefida. *Stam.* quinque. *Pist.* Germen intra calycem & corollam. *Styli* numero incerti. *Per.* Bacca subrotunda, unilocularis, calyci insidens, umbilicata. *Sem.* tria, ossea, hinc gibba; inde angulata, approximata in globum, unilocularia, singula sex sulcis exarata. *Radix* longissima. *Caulis* rarissime ramosus, decumbens, inferne nudus. *Folia* versus apicem caulis opposita, obverse ovata, utrin-



que acuta, scabra, subtus pallidiora, duorum pollicum latitudine, internodiis caulis vix pollicis longitudine.

*Barrer. equin. p. 113.* VIOLA grandiflora, Veronicæ folio villosa. Hic primus est, qui ad genus VIO-LÆ eam retulit, cujus hæc est descriptio: "Planta hæc, "cujus hæctenus ignotus existit character, adeo quoad "partes suas essentielles VIO-LÆ est similis, ut hanc ab il- "la separandam non crediderim. *Flos* ejus albus, tripe- "talis: Petala duo superiora, alarum nomine haud ine- "pte insignienda, sunt admodum angusta, pollicaria, fal- "cata, se uniendo labium emarginatum referentia, & fe- "re penitus intra calycem inclusa. Petalum inferius ma- "ximum, unum digitum & duas lineas in latitudinem, "septem vero lineas in altitudinem protenditur; insertum "fundo calycis cauda quinque lineas longa, antrorsum ca- "dit collaris instar, separatum autem a ceteris floris par- "tibus, faciem quodammodo tuditis præ se fert. Calyx "parvis obsitus est pilis, ad basin usque in partes quin- "que, longitudinis fere quinque linearum divisus, & Pi- "stillum quatuor lineas longum, tectum staminibus flaviu- "sculis, parvas antheras gestantibus. Marcescente flore, pi- "stillum hocce fructus evadit seu Capsula ovalis, acumi- "nata, primum viridis, postmodum albida, quæ matu- "rescens in tres partes ad apicem dehiscit & semina plu- "ra, parva, alba, rotunda, seminibus Oxyos luteæ similli- "ma habet. Folia plantæ hujus venis eleganter intexta "& pilis tam circa margines quam subtus conspersa, fo- "liis Pulegii comparat Piso, sed accedunt propius simili- "tudine ad folia Veronicæ masculæ. Leniter agit hæc "planta, ut teste ipso Pisone eam infantibus atque foemi- "nis uterum gestantibus propinare liceat.

*Allamand*, Chirurgus & Botanicus curiosus, qui Su- rinamum sæpius adiit, in litteris ad N. D. Præsidem da- tis, illam ut veram Violæ speciem descripsit: *Caulis* est fi- lifor-



liformis, serpendo scandens sepes. Folia alterna, remota. *Pedunculi* solitarii, uniflori, articulati, incrassati: *Bra-*  
*cteis* 2, minutis. *Calyx* postice minime protrusus. Co-  
rolla alba: Petalum supremum incumbens maximum,  
hinc corolla quasi ringens galea trifida. Pet. lateralia ad-  
scendentia. Petala infima minora deorsum flexa, horum  
supremum postice exit in nectarium seu calcar longissi-  
mum, contortum. *Stamina* 5, horum 3 anteriora steri-  
lia; 2 posteriora fertilia.

*Vandelli*, Professor historię naturalis Ulyssiponensis,  
edidit *Fasciculum* 1771. 4:to, ubi venustam exhibet figu-  
ram *Violæ ipecacuanhæ*, secundum plantam vivam, quam  
in horto suo seminavit atque excoluit. Cum vero hic  
libellus non ubique forte sit notus, descriptionem heic  
adjiciam.

POMBALIA ipecacuanha. *Vandell. fascic. 1771. p. 7.*  
*tab. I.*

Habitat in Brasilia. *h.*

*Radix* fibrosa (sed diversam satis pingit ab *Ipeca-*  
*cuanha officinali*), alba, ramosa.

*Caules* bipedales, erecti, teretes, læves, ramosi.

*Folia* alterna, petiolata, elliptica, argute serrata, glabra.

*Petioli* brevissimi: *Stipulis* binis, scariosis, lanceolatis, ca-  
rinatis, aristatis, pilosis.

*Flores* laterales, solitarii, pedunculati, cernui, pedunculo  
foliis multo brevior.

*Bractææ* in medio pedunculo binæ, brevissimæ, lanceo-  
latæ, apice pilosæ.

*Calyx* pentaphyllus, margine muricatus.

*Petala* quinque, alba: duo calyce breviora, linearia; duo  
paulo longiora, reflexa, emarginata; unum maxi-  
mum, retusum, latum, basi gibbum absque calcari,  
subtus pubescens. Reliqua vide *Vand. l. c.*



Ex omnibus hisce recentiorum descriptionibus patet Ipecacuanham speciem esse *Violæ*, sed diversas simul species esse descriptio D. Allamandi & Vandellii monstrant, unde fortassis orta est differentia, quam inter Ipecacuanham fuscam & albam Medici constituunt. Interim eundem præstant effectum, ut in aliis plerumque fit plantarum Generibus & familiis. Novimus etiam ipsas *Violas* nostras perennes eandem fere vim vomitoriam radicibus habere inditam, ut infusæ ὄνω καὶ κάτω sæpius purgent.

Priorem Ipecacuanham Pisonis & Ouragogam N. D. Præsidis eandem forte speciem esse caule decumbente probabile videtur, perinde atque eadem Pisonis & Barreri species est foliis villosis. Calcar longum corollæ in flore Allamandi (calcar longissimo) species sine dubio diuersa est a *Pombalia Vandellii* quæ calcar destituitur: præterea nec Piso, nec Marcgravius calcar nominat aut delineat, quod minime præterire potuissent si illud observassent. Atque hæc fuit causa cur N. D. Præses in Syst. Naturæ edit. 13. p. 669 *Ipecacuanham* Barreri a *Viola diandra* Allamandi distinxerit.

*Violæ* maxime adfines sunt *Lobeliis*. *Lobeliæ* illæ quæ a Cel. D. Prof. Bergio Cyphiæ dicuntur habent corollam quinquepartitam s. pentapetalam, ut difficulter dignoscantur *Lobeliæ* ab istis *Violis* quæ absque calcaribus sunt, quales variae occurrunt Capenses. Quam venenatæ sint *Lobeliæ*, *Lobelia longiflora* suo exemplo docet, de qua Jaquin. Americ. p. 220 \*).

Hæc

---

\*) Tota, inquit, planta venenatissima. Interne sumpta Hypercatharsin creat, nullis remediis cedentem, tandemque lethalem. Equus hanc si comederit, rumpi medius fertur, unde Americanis equorum disruptor seu rebenta Cavallus.



Hæc ipsa qualitas venenata aliquantulum temperata in affine ejus Ipecacuanha operatur. Vomitoria enim & purgantia sunt naturæ inimica, quæ noxia motibus convulsivis e corpore expellere conatur. Si venenum hoc statim in ventriculo soluitur, fit Vomitus: Si vero in intestinis tandem solutum fuerit, Purgans evadit. Adeoque ubi præscribitur, evacuantur primæ viæ & simul contenta ejiciuntur maligna, quæ in ventriculo hærent.

Geoffroi radicem Ipecacuanhæ fuscæ duplo majorem *Gummi* quam *Resinæ* quantitatem continere, sed vim ejus Resinosam potenter, Gummosam vero leniter agere demonstrat. Gummosam quoque partem ad Dysenteriam curandam plus conferre existimat ille, quam resinosam, quod tamen, nec sine causa, in dubium trahitur.

*Dosis* Ipecacuanhæ communiter a scrupulo uno ad drachmam semis numeratur; sed sæpe longe minori dosi parem exserit effectum. Sumimus itaque Pulveris ipecacuanhæ scrupulum unum aut ultra, Tartari Tartarificati Grana octo, Aquæ fontanæ unciam semis, quæ inter se miscentur, unde æger cochlear i. haurit ad octavam quamque horæ partem, usque dum vomitus subsequitur, qui sic hypercatharsin excitare nequit.

Radicem diu pulverisatam Pharmacopolæ, si conservare rite voluerint, intra vitra asservent clausa, ne vis præcipua evolet, quin & radix ipsa optime vasis clausis asservanda. Caveant operarii pharmaceutici, ne, dum in pulverem Ipecacuanha redigitur, pulvisculos volitantes halitu attrahant: sic enim facile Anginam, Hæmoptysin, Asthma, Hæmorrhagiam contrahunt, quæ tamen mala per se intra biduum cessant.

Radix vomitorium est inter detecta hucusque tutissimum atque mitissimum, unde præ ceteris commendar



dari & tenerrimis etiam infantibus propinari potest. Præterea per secessum leniter purgat, ubi ad intestina fuerit perventum.

In dissertatione de *Purgantibus indigenis*, N. D. Præses Violas quidem & quasvis violæ radices loco Ipecacuanhæ tentandas proponit. Nemo autem, quantum scio, hujus rei experimenta fecit præter Cel. Prof. Bergium, qui optimo eas adhibuit successu. Mihi vir Clarissimus narravit, se ex eadem planta tam viva, quam marcescente, infusum obtinuisse aquosum, quod mucilaginosum est, odore propemodum aurantiorum, quodque post unum vel alterum vomitum etiam alvum purgat. Ex planta vero sicca infusum minus mucilaginosum evadit, minime emeticum & parum laxans.

**QUALITAS.** *Sapor* hujus radicis est nauseosus, amaricans & leniter pungens.

**VIS.** Emetica! sudorifera; corroborans & adstringens.

**USUS** ejus præcipuus fuit atque etiam nunc est in *Dysenteria*, qua grassante adeo copiose præscribitur, ut pharmacopolia hoc remedio plerumque evacuentur. Materiam enim expellit morbificam & simul necat contagium, sine dubio animatum.

In *Febris* Criticis, Intermittentibus & Exacerbantibus, ad purificandas primas vias apud nos & externos frequentissime usurpatur, maxime ante usum pulveris Chinæ, quo felicius vires suos exferat.

Adversus *Leucorrhoeam* eandem laudat N. D. Præses in sua materia medica.

In *Menorrhagia* seu Hæmorrhagia uteri summo eandem successu adhibuit Medicus S:æ R:æ M:s D. Doct. Nicol. Dabberg, ad tertiam aut quartam grani partem, hora



hora quavis tertia aut quarta datam. In *Tussi catarrhali* & *phthifica* etiam eandem extollit in Actis Academiae Regiae scientiarum Holm. pro A:o 1770. p. 316. Vir amplissimus eandem laudibus effert, eo quod expectoratio reddatur facilior, unde morbus mitigatur quamvis non purget. In *Peripneumonia* & *Pleuritide*, refracta dosi, maximo cum fructu Ipecacuanha commendatur.

Confirmat hanc sententiam Medicus acutissimus D. Doct. *Gabr. Lund*, qui simul testatur pulveris Ipecacuanhae gr. *ij* aut *iii*, admixti Theriaci scrup. semis ad formam boli, quod tertia qualibet hora propinatur Phthificis, qui *Diarrhoea colliquativa* laborant, optatum plerumque praestare effectum.

In *Tussi convulsiva* infantum, quae ut lues epidemica semper infantibus hoc morbo nondum vexatis est contagiosa, eximium haec etiam praestat effectum. Inter praeparata, quae ex hac in pharmacopoliis prostant, maxime commendatur Tinctura ipecacuanhae pharm. Edinb. quae & simplici methodo est confecta & infantibus facillime ingeritur. *Dosis* est drachma quovis horae quadrante, donec oritur vomitus. Propinetur autem infantibus, sub remissione paroxysmi. Qui curationem morbi hujus ulterius cognoscere cupit, adeat librum Archiatri p. m. *Rosén von Rosenstein* de morbis infantum, nec non *Alessandri* celebratissimi Doct. *Strandbergii* dissertationem de eodem morbo solidissimam, actis Academiae Regiae scientiarum Stockholmensis Anno 1749 p. 251. insertam.

*Vermibus* infantes plerumque infestantur. Symptomata, quae hos comitantur, gravissima, non exiguam Medico sollicitudinem injiciunt, maxime si convulsiones simul adfuerint. Inter remedia huc usque usitata, quantum mihi notum est,



est, vix efficacius & tutius est, emetico ex Ipecacuanha, per quod dolores sæpe & repente quasi cessant. Quamvis per emetica hic morbus radicaliter non tollatur, Medico tamen moram parant fortiora adhibendi anthelmintica. Sæpius observatum est, vermes per convulsionem emetico factam, ventriculum aut Intestina tenuiora deserere fuisse coactos; Interdum etiam deleterio hoc ipsis veneno, debilitati, per alvum ejectos fuisse. Vid. *Vogelii dissert. de usu Vomitoriorum* ad expellendos vermes Gott. 1765.

In primo stadio *Rubeolarum* optatum quoque Ipecacuanha præbet usum, atque in *Asthmate* præstantissimum est remedium, si viscidum tenax pulmonem aut ventriculum gravat.

In hoc vero & ceteris emeticis usurpandis, plus sane noxæ quam utilitatis ægro adferimus, nisi natura ipsa, sapore oris amaro, anorexia, debilitate, inquietudine, Cephalagia & Vertigine atque ad vomitum proclivitate, medicamentum emeticum indicaverit esse necessarium. *Plethorico*, emetica non nisi post venæsectionem sunt præscribenda; nec illis unquam porrigenda quorum constitutio corporis infirma violentam evacuationem ferre nequit, nec Hæmoptysi laborantibus neque Herniosis & quorum sanguis aut humores ad caput vel ad pulmones tendunt: Gravidis etiam non sine maxima circumspeditione vomitoria commendamus, probe memores canonis istius; *Medicamenta HEROICA, in manu imperiti, sunt uti gladius in dextra furiosi.*

